



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. de Multipraesentia Rei finitae.
2. Tr. de Contradictionis Natura et Principio.
3. Tr. de Oppositione Enunciatorum.
4. Pansophia liberalis Tabellis repraesentata.
5. Disquisitio Magnetica.
6. Tr. de Notitiis naturalibus.
7. Tr. de Cognitione humana universa, duabus Exercitationibus comprehensa.

# EXERCITATIO III. 

# DE ARGUMENTIS QUIBUSDAM CONTRA MULTIPRÆSENTIAM.

Respondente

MICHAELE WATSONIO,
Stolpâ Pomerano.

## THESIS XL.

HÆc omnia imbecilles *sublunarium infirmitates sunt, quæ præsentias locales, quà tales sunt, comitari solent*: in simplicibus penitùs segreganda. *Ita* Angelus *alicubi in spatio est absolutè, ut nihil infirmitatum à se alienarum in eo recipere possit.* Corpus in vacuo *supra mundum à DEo locatum simpliciter ibi aderit, nullo circumscribetur, concludetur, terminabitur, infestabitur, cum nihil ibi, quod concludere, infestare, &c. possit.* Præsentia localis dicitur ambiguè: *Velut ad locum, tanquam terminum, ubi aliquid sit, sic & præsentia simplex localis dici potest, sed nihil infirmitatis admittit:* Vel ut ad terminum, à quo dependeat, cui subjaceat, quo concludatur, terminetur, circumscribatur, *ut extrà esse non possit, & cujus consequentia universa,* quamvis infirma, *possit recipere.* Ita homo in loco est, ut eo claudatur, ut continente, ne extra eum sit, *ut augeri, minui, cadi, occidi, vivificari, trudi, uri, moveri, quiescere, calefieri, frigefieri, rarefieri, densari, vestiri, nudari, calceari, discalceari, sanari, morbefieri, currere, sedere, edere, esurire, aliaq́; quæ pro sublunarium conditione corporibus inferri in locū solent, omnia recipere in loco possit.* Hoc hic vocamus præsentiam localem, *i. e.* à loco pendentem, & localibus infirmitatibus subjectam, *ut conclusa & adstricta*

*eo sit, non extrà patere possit.* Sic terrena in hoc inferiori mundo in locis sunt, ut ijs concludantur, variaq; in illis, & misera interdum, experiantur. Quod de homine euidentissimum est.. Iam dico, DEum, si corpus in multis ubi locet, simplici præsentiâ illud ubicaturum, quæ nihil recipiat imbecillitatis, sed tantùm perfectiones: Non locali, & quæ pro corporibus circumscriptiva usitatè dici solet, quæq; varijs infirmitatibus subjecta est, *partìm in loco inferendis, partim à loco pendentibus.* Ipse Chamier c.l. §.17. Corpus præsens esse posse concedit præsentiâ spirituali, *ut tamen non spiritus dici possit. Quanquam illam præsentiam* per substantiæ absentiam *postea falsò declaret.* Sed præsentia Spiritualis est per simplicem adessentiam, extra imbecillitates locales. Cur non & tali præsentiâ DEus corpus in pluribus ubi sistere posset?

41. Cur autem sic sentiam, *porrò est confirmandum.* Amesius *enim caveri sibi vult, miraculosè hæc in corpore ita ubicato cautum iri, ne unquam fiant*, p. 130. T. 3. Bell. eneru: *Hoc ergò* sequentibus *patebit.* 1. Corpus in multis locis sisti insignis & supernaturalis est perfectio corpori illata, & quam nulla naturæ aut angeli vis conari queat, Vt t. 3. *visum.* Imò *quæ* per magnum miraculum *Corpori inducatur, ut* illi ipsi *concedunt, qui aliàs hic dissentiunt, ut* Valentia c. l. Raconis d. loco q. 1. p. 84. Morisanus d. loco q. 3. *& alij. Et t. 3. in statu Controversiæ monitum fuit. Quomodo & per miraculum corpus cum alio Corpore in uno loco esse posse concedunt;* V. Thomam p. 3. q. 57. a. 4. Sed in perfectionibus rerum & miraculis ut sic, non admittenda sunt, quæ imperfectionem redolent, sed quæ perfectionem. Imperfectionem autem sublunarem universa illa præsentias locales comitari solita redolent, *& quæ* φθαρτῶν δυσχέρειαν *sublunarium arguunt, ut calefieri, frigefieri, mori, occidi, vulnerari, esurire, epulari, &c.*

Hæc

Hæc ergò omnia *à corpore varijs locis statuto removenda. Et consequenter adessentijs simplicibus ibi statuetur, non localibus, quæ conditiones infirmitatis loci admittant, easquè ineptias,* *quas jure* Chamier dignas Plauti Sosiâ aut Menæchmis judicat, c. 9. §. 32. *Et in quibus frustra cerebrum consumitur.* V. §. 60. 61. *Vt â* Scholasticis *interdùm fit.* 2. Exemplum Corporis Christi, quod solum actu in multis locis præsens esse *ex revelatione novimus, idem docet. Ejus præsentia* perfectiones *admittit, ut praeesse, prodesse, favere, influere, dominari, regere, auxiliari, imperare, judicare, quibus adest: non* imperfectiones & vanitates, *ut esurire, mori, frigere, &c. Et fatentur* Pontificij, *Corpus illud realiter præsens in* Eucharistiâ. Ineptas *tamen illas infirmitates, alterationes, vulnerationes, & mortes, ei adscribere non audent.* Cur non simile quid de alio corpore divinitùs per insigne miraculum in multis ubi statuto colligendum? *Et asserenda ea de illo, quæ perfectionem aliquam in loco dicant, non imperfectionem.*

42. 3. Analogia corporum glorificatorum idem docet. *Ea etsi ordinariè in uno τῷ cœlesti futura, non in multis simùl sint, quippe quod ex revelatione nuspiam scimus* : Imbecillitatibus tamen sublunaribus excepta ea fore scimus, *ut esurire, frigere, calere, morbefieri, alterari, &c. Cum angelis sint futura similia,* V. Matth. 22. v. 30. *Simile quid de corpore, quod per miraculum ultra loca elevaretur, & in multis simùl supra corporis Naturam collocaretur, cogitandum.* 4. Analogia Corporum cœlestium & supralunarium idem persuadet. *Hæc etsi locis contineri scimus, supremo omnium excepto, quod loco exemptum,* Vt §. 11. seq. f. 4. d. E. A. Visum: *alterationibus tamen* Physicis & vilitatibus *sublunarium non subjecta esse* potiores Philosophi *concedunt, qui quintæ cujusdam essentiæ illa faciunt, & qualitates sublunaribus eminentiores illis assignant,* Simile de

Corpore in multis simul locato cogitandum, *Deum imbecillitatibus illud exempturum, & perfectionibus exaltaturum, ut de alterationibus illis vilissimis de eo quærere, & in asserendis ei illis, aut conciliandis, tempus & cerebrum fatigare nihil necesse sit. Qualia* pleraq; Scholasticorum *sunt, quæ hic movent*. V. §. 60. *Et rectè de his argutatiunculis illud* Augustini 22. d. C. D. c. 11. Bellarminus *usurpat*: Ecce, qualibus argumentis omnipotentiæ DEi humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas!

43. 5. Si corpus à DEo statui potest in multis locis localiter & circumscriptivè, E. in nullo est circumscriptivè, & aperta implicatur Contradictio, quam ne potestati quidem divinæ subjicimus. Nam circumscriptivè *in uno loco esse, est ita termino continente claudi*, ut nihil ejus sit extra. *Hac enim* circumscriptio actualis & localis præsentia *postulat, ita circumscribi, ut nihil circumscripti sit extra terminum circumscribentem. Iam si in multis locis* circumscriptivè est, cogitur simul extra terminum circumscribentem esse, *secùs in pluribus circumscriptivè non erit. Et sic simul idem* corpus intra terminum circumscribentem totum erit; & totum extra, i. e. non intra illum, quod apertè contradictionem in naturâ rei importat. *Ergò hoc ne absolutâ quidem potestate possibile habendum. Vera enim contradictoria ab eâ eximimus.* Dices 1. Esse corpus intra terminos circumscriptionis naturaliter, sed extra supernaturaliter. *Et ita intra & extra esse non secundùm eundem modum sumitur. Itaq; contradictio aliena.* Ita Raconis. R. 1. Diversus modus contradictionem hic non salvat. Contineri totum intra, & non contineri totum intra, essentias ex naturâ sui contradicentes habent, ut unum directè evertat alterum, qualia nullo modo addito concilies. *Quatenus enim extra, non intra circumscribitur. Et sic negamus,*
circum

circumſcriptum localiter, & non circumſcriptum eſſe, *de eodem numero corpore etiam per poteſtatem abſolutam ſimùl verificari poſſe.* Cum ſimplici præſentiâ ſtare poſſe concedimus, eſſe ſimùl extra, hic enim nihil uno circumſcribitur, aut intrà concluditur: Sed cum circumſcriptione negamus ſtare poſſe. *Quod enim circumſcribitur uno & concluditur, ejus nihil extrà eſſe poteſt quin pereat circumſcriptio. Et quamprimùm tale* corpus à Deo extra circumſcriptionē actualem poni ais, quod DEo poſſibile eſſe non negamus, jam facto uno circumſcriptum eſſe alicubi, tollis. *Et ita nos de Corpore variè ubicato ſentimus, fore quidem alicubi*, ſed ſimpliciſſimè definiendo adeſſentiam: non localem circumſcriptionem unius termini aut comprehenſionem admittendo, *quod in eo fit, quod uno loco continetur ac concluditur. In aliquot locis corpus ita ubicatum futurum putamus, nec loco commenſuratum aut ab eo comprehenſum*, ſed locis *commenſuratum fore divinitùs, credimus.* Alicubi erit, ſed non adeſſentiâ locali, non incluſè aut concluſè; ideò & extrà eſſe nihil prohibebit. *In eo natura, eſſentia, & formalis ratio circumſcriptionis conſiſtit*, intrâ concludi, comprehendi, & contineri, nihil extrà habere. *Ergò ſi per ullam vim extrà ponitur*, jam natura circumſcriptionis everſa eſt. At quod eſſentias rerum evertit, omninò illis contradictorium eſt, & nullâ poteſtate admittendum. *Sic animal rationale eſt definitio & formalis ratio hominis. Nullâ ergò vi committendum ejus Contradictorium, quo formale illud evertatur, ut non ſit animal rationale. Sic termino continente concludi*, eſt formalis ratio circumſcriptionis localis actualis. *Nullâ ergò vi illud fieri concedendum eſt, quo formale illud evertatur.* Contradictoria enim ἁπλῶς impoſſibilia, *& ſimpliciter naturâ ſui talia*, ut fieri nullâ poteſtate poſſint. V. dec. I. Miſcel. d. 5. t. 9. ſeq.

44. Di-

44. Dices 2. Circumscribi loco solùm est totum Corpus in loco toto, partem in parte esse, ac nihil locati esse, quod non contineatur intra terminos loci,& nihil loci,quod non contineat Corpus vel partem ejus. *Sed quòd non egrediatur terminos loci, non pertinet ad essentiam circumscriptionis localis*, Sed gratis additur, *& sic, si extra terminos locetur Corpus, essentia circumscriptionis non evertitur, & sic Contradictio non admittitur.* Ita Ruvius. ℞. Si circumscribi loco totum Corpus in toto loco ponit, & nihil locati non intra terminos loci continet, E. nullam partem extra admittit. Secùs non totum intra locum erit. *Si nulla pars extrà admittitur, quin evertatur circumscriptio localis*, E. multò magis totum corpus non extrà admittendum, quin tota circumscriptionis localis essentia evertatur. *Et sic hoc in definitione τῦ loco circumscribi omninò implicatur, nec partem, nec totum circumscriptum, extrà admittere.*

45. 3. Circumscribi loco non admittit extra, h.e. ut sit ubiq;, benè tamen uspiam extra illum locum. *Sic definitivè alicubi esse est non extra esse, i.e. non ubiq;: benè tamen in diversis τῦ per potestatem absolutam. Sic olim explicatum* f.3.§.27.de Eff. Alic: ℞. Alia ratio definitivè alicubi essendi, Alia *circumscriptionis localis. Angelus alicubi est* definitivè activè, *non ut definiatur, sed definiat, non ut terminetur, sed determinet sibi spatium*, c.1.§.18. *Sed Corpus in loco est* passivè, ut terminetur, & circumscribatur, non terminet & circumscribat. Angelus *extrà spatium esse potest, quia spatio non concluditur, nec natura definitivæ alicubitatis evertitur, si extrà esse admittatur. Sed corpus, quod in loco de facto circumscriptum est*, concluditur loco passivè, terminatur, & includitur, *ut extra illud esse*, si loco concludi præsupponitur, nequeat, nisi circumscriptionis natura evertatur, *Dissentientes 4. Corpus uno* loco circum-

cumſcribi *ajunt*, & ſimùl extra illum in alijs circumſcribi *dicunt. Hæc nos verisſimè evertentia eſſe aſſerimus.* Aliud eſt, alicubi circumſcriptivè eſſe, quod habitudinem eſſendi in loco & actu circumſcribi poſſe, *non circumſcribi de facto præcisè, importat, & ſemper Corpori eſt eſſentiale, tanquam modus tranſcendentalis ubietatem Corporis dicens, qua nunquam abeſſe poteſt: Quod nos aſſerimus.* Cum hoc *extra locum de facto poni, in pluribus locis ſimùl poni, conſiſtit:* Aliud, uno loco actu circumſcriptum eſſe, & ſimùl in pluribus circumſcriptivè à DEO ſiſti, *quod* Diſſentientes *ajunt*, *Nos negamus*, & Contradictionem importare *aſſerimus*. 4. Circumſcriptio negat corpus alibi *& extrà eſſe, ſed ad ſummum* ratione ejus ubi, quo circumſcribitur. *Per aliud autem ubi extra & in locis alijs eſſe poteſt. Et ſic non eſt Contradictio. Ita* Arriaga n.123.R. Nec hoc permittit circumſcriptio, ut per aliud ubi extra eſſe poſſit, & alijs in locis. Nullâ rationē extra admittit, quod totam rem circumſcribit, *ut nec* partem extra admittat, ut antè dictum. *Si ratione novi ubi, quod in corpore ponitur, extra eſſe dicitur, rectiùs* non circumſcriptum eſſe ullo termino loci dicitur, etſi alicubi ſit, ut circumſcribi poſſit. In hoc tamen caſu, quo in variis ubi ubicatur, nullo termino locali actu eſt circumſcriptum, *ſed in varijs ubi ſine actuali circumſcriptione eſt. Ubi actu uno loco circumſcriptum aſſeritur, jam extrà eſſe poſſe evertitur, quâcunque ratione, modo, ubi, ut, &c. illud fieri arbitreris.*

46. 6. Si Corpus circumſcriptivè in uno loco eſt, & ſimùl circumſcriptivè in pluribus locis eſſe poteſt, E. eadem res reſpectu ejuſdem corporis erit extremitas, & non extremitas. Nam locus, quo circumſcribitur corpus, eſt extremitas ſ. terminus ambientis corporis, ut §.58. ſ. 4. d. eſſ. alic. viſum. Et non erit extremitas, *quia extra ejus circumſcriptionem & alibi eſſe ponitur. Extremum autem eſt, quod ultimum rei*

*eſt,*

*est, extra quod nihil ejus usurpare possumus.* Arist. 4. Metaph. c. 17. *Hic autem non aliquid saltem corporis extra istum locum, sed totum corpus usurpare licet.* Sic idem locus respectu ejusdem corporis erit extremitas, & non erit. At hoc manifestè est contradictorium. E. & id, ex quo hoc sequitur. *Sequitur autem ex eo, cum corpus uno loco circumscribi dicitur, & simùl extra eum in aliis esse conceditur. Ergò.* Exceptiones, *quæ ad hoc parari possunt, ex* §. 43. 44. *facilè retundentur.* 7. Si corpus uno loco circumscribitur, & simùl aliis, unum & idem erit indivisum in quantitate & divisum simùl. Quia unum numero quantum, quâ uno loco continetur, indivisum est, quantitatem enim unam numero obtinet, eaq; tota uno loco circumscribi & concludi dicitur. Quod autem ita concluditur, *unum numero quantum est.* Quà multis locis circumscribi conceditur, *multas quantitates obtinere necessum est.* Circumscribi enim nullum, nisi quantum potest, *& sic divisum in quantitatibus erit*, sicque simùl indivisum in quantitate & divisum erit, quod Contradictorium. *Sed Contradictoria potestati divinæ non subjacent. E. nec corpus localiter multis ubi præsens sistere.* Dices: Idem in præsentiâ simplici sequetur. E. nec hac DEus variè corpus locare poterit. *Nam & sic, quod* uni spatio *adest, unâ quantitate est præditum, & sic indivisum. Quod multis spatiis, multis quantitatibus est præditum, & sic divisum.* *R. Non sequitur,* quod multis spatiis est præsens, multis quantitatibus est præditum. *Nam ex præsentiâ vel adessentiâ, ut sic, non statim quantitas sequitur, Cum & DEus, angeli, animæ rationales, alicubi præsentes sint, & tamen non quanta. Sed ex* præsentiâ circumscriptivâ, ubi circumscribi aliquid dicitur, *omninò quantitas sequitur.* Quod in præsentiâ suâ localiter circumscribitur, quantum esse oportet. Quod multis locis circumscribitur, multas quantitates habere oportet. *Hinc sequitur,*

*tur, & unum quantum esse, & multa, h. e. divisum & indivisum in quantitate esse, quia multas circumscriptiones locales habere asseritur, quæ non nisi quantorum esse possunt.* In meâ sententiâ id non sequitur. Cum aliud, *adesse, quod &* non quantis, aliud, *circumscriptè* & locatè adesse, *quod* solis quantis *competit, & multiplicationem quantitatis in quanto importat, sicq; ex uno Corpore multa fiunt. DEus, ubi unum Corpus in multis spatijs sistit, non* locatè & circumscriptè illud *sistit, sed modo abstrusiore & incognito*, quem præstat ignorare, quàm per modos inextricabiles determinare. *Miraculosus talis ubicationis modus futurus est, quod ipsi dissentientes fatentur.* V. §. 41. *Miraculorum a. Speciales modos inquirere aut explicare nihil attinet.*

47. 8. Probari eadem veritas sententiæ *nostra* authoritatibus *potest.* Bellarmini, Valentiæ, Thomæ Aquinatis *testimonia* §. 39. *vidimus.* Ruvius 4. Phys. d. loco. q. 7. n. 71. Ex simplici præsentiâ & indivisibili ejusdem Corporis in diversis locis, non benè infertur, duplicem localem præsentiam esse possibilem, quia specialem continet repugnantiam, *quòd præsentia localis multiplicetur propter commensurationem Corporis cum loco, quam dicit essentialiter, commensuratio verò* comprehensionem intra terminos loci, ita ut extra illos non possit extendi idem corpus: extenditur autem extra illos, si sit simùl in alio loco extensivè, & ideò repugnat simùl esse in duobus. &c. *Similia* n. 73. *habet.* Masius in 4. Phys. q. 5. Implicat Contradictionem, ut idem numero Corpus sit localiter seu per proprias dimensiones in pluribus locis simùl, tàm circumscriptivè, quàm definitivè. *Hoc postea* aliquot rationibus *confirmat. Et* antea *inter circumscriptivè & definitivè alicubi esse, tertium modum agnovit,* Sacramentaliter in aliquo esse per realem præsentiam *Corporis secundùm modum*

*indivisibilem; non per proprias dimensiones, sed alienas.* Postea: *Vnum* in duobus locis localiter esse, apertam & manifestam implicat contradictionem. *Sequeretur enim, locum esse extremitatem, & non esse, item locatum esse unum & non esse, ut expositum.* D. Gravverus d. loco c. Keckermannum t. 241. Scotus, inquit, in 4. Sent. d. 10. q. 2. multis astruit, Corpus aliquod etiam localiter posse esse in multis locis. Quod tamen ego non dixerim. Danhauverus *Corpus in multis locis statutum iri ait à DEo* adductione quâdam non locali, *quæ similis ei adductioni esse queat, quâ anima parti in substantiam aliti abituræ adducitur, nec motu locali, nec novâ generatione*, ide. interpr. s. 1. §. 53. Veronij Iesuitæ *authoritatem in hoc negotio* t. 63. *vide.*

48. *Hactenùs* secunda nostra assertio, *eaq; confirmata. Et sic,* quæ de Multipræsentiâ Corporis DEo possibili dicenda fuerunt, determinata sunt. Reliquum jam, ut argumenta contraria, quæ duabus à Nobis allatis hypothesibus opponi possunt & solent; *adducamus & resolvamus.* Quædam absolutè *fieri posse negant, corpus unum pluribus locis sisti à DEo.* Quædam etiam circumscriptivè *sisti posse asserent. Et quia* pleraq; difficultate non carent, ac à Nostrorum Nemine distinctè satis soluta sunt: *pleniùs & distinctiùs in solutione eorum elaborandum erit.* Sanè fides Christiana non solvit, sed evertit λογισμοὺς contra cognitionem DEi se evehentes, 2. Cor. 10. v. 5. *Et simpliciter in verbo quiescit*; §. 45. 81. *Sed nos*, ut Doctores fidelium & Christianorum, *hæc disceptamus, Et* ut eruditi cum eruditis *procedimus, & sic* non Nobis solùm & Causæ, sed & Adversarijs omnibus satisfacere intendimus. Vt dec. 1. Misc. d. 10. t. 24. 25. seq. pluribus *dictum. Hoc* veteres Patres & Scholastici ante Nos *fecerunt*, Nobisq; idem agendi exemplum *reliquerunt.* Dices 1. Corpus Chri-

Christi est in Cœlo circumscriptivè, ut in loco ex Naturâ sui, & tamen simùl aliis in locis præsens est divinâ virtute & exaltatione; *Nec* tamen committitur contradictio, quasi extra terminum circumscribentem esset & non esset. E. & in alio Corpore circumscriptivè *in multis locis à DEo ubicato, non præcisè ponenda Contradictio.* R. Corpus Christi est in Cœlo circumcriptivè, *non quòd actu loco circumscribatur: Incertum enim, an circumscribens in Cœlo de facto sit, nec ne: Et si locus ibi, certè non corporeus & animalis est, ut in hoc nostro orbe*, sed Cælestis, Spiritualis, & supernaturalis, πȣ̃ aliquod cœleste, *cujus statum & specialem rationem nec oculus vidit, nec auris audivit. Scriptura locum vocat*, Ioh. 14. v. 2. 3. Sed divina sæpè more humano describuntur, verùm modo divino sunt intelligenda. *Quomodo &* mansiones, domos, tabernacula, regna, paradisum, aliaq́, *in Cælo ponit, quæ tamen secùs, ac pro more mundi hujus, intelligenda: Sed* quòd ex Naturâ sui habitudinem ad circumscribi loco perpetuò retineat, in quo propriè esse circumscriptivum consistit, & quod modus Vbietatis Corpori proprius & inseparabilis est, V. §. 6. f. 4. d. ess. alic. *Quiq́ & Corpori Christi* per naturam sui *negari non potest. Sed* actu loco aliquo circumscribi *hinc non sequitur, nec de Corpore Christi ex sacris certi quid hic constat, & extra revelationem propriis commentis intendere periculosum est. In λόγω esse, & ad dextram Patris Omnipotentis, supra omnia, quæ nominari possunt, exaltatum esse, ex Sacris novimus. An de facto* ambiente aliquo corpore *cingatur, & sic in loco actu circumscribatur, ignoramus. Locale esse, & per Naturam sui perpetuò manere credimus. Cogitandum hic illud* Augustini d. fid. & Symb. c. 6. Vbi & quomodo sit in Cœlo corpus Dominicum, curiosissimum & supervacaneum est, quærere, tantummodò in Cœlo esse credendum est. Non enim nostræ

fragilitatis eſt, cœlorum Secreta diſcutere: Sed eſt noſtræ fidei, de dominici Corporis dignitate ſublimia & honeſta ſapere. *Iam, prout Corpus Chriſti pluribus locis à DEo ubicatur,* nullo tamen circumſcriptũ de facto *eſt, adeòq; nec* extra *extremitatem, nec* intra *illam ſimùl eſſe tenetur, ſed extra circumſcriptionem illam* varijs in ubi ſimplice præſentiâ, citra incluſionem, concluſionem, circumſcriptionem, imperfectionem, localem extenſionem, & ſimilia DEo ſiſtitur: *Ita de alio corpore variè ubicato per analogiam & cæteris paribus ſentimus.* V. t. 41. Oppoſita autem ſententia *actu uno loco tale Corpus circumſcriptum facit,* & ſimùl extra illam circumſcriptionem in aliis ubi ponit. *Hoc nos repugnantiam involvere aſſerimus.* Nullo termino uno de facto tale corpus circumſcriberetur: *ſed in diverſis ubi ſimplice adeſſentiâ citra circumſcriptionem* vel *in uno* vel in aliis, *divinitùs ubicaretur.* Conf. ſ. 3. d. Es. Al. t. 27. 28.

49. 2. Quod eſt totum in multis locis ſimùl, eſt ubiquè. Sic enim Patres divinitatem Spiritus Sancti adſtruunt, quòd in pluribus ſimùl ſit, nec circumſcriptam habeat naturam, adeoque finiri nequeat, ſed ubiq; ſit, ut Didymus, Ambroſius, Auguſtinus, Baſilius, aliique. At nullum corpus eſt ubique. *Quia quod ubiq; eſt, infinitum eſt. Nullum autem corpus eſt infinitum. E. nullum corpus eſt totum ſimùl in multis locis.* Ita Chamier c. 11. R. 1. Quoad Nos, & hoc, quod jam diſceptamus, Concluſio non infertur directè contra noſtram theſin. Diſputatur, *An corpus aliquod divinitùs in pluribus locis ſtatui poſſit?* Concluditur; *Nullum corpus ſimùl totum in multis locis eſſe.* At non hoc jam quæritur, an de facto aliquod corpus ſit in multis locis, nec ne? *Tale quid non niſi ex revelatione Scripturæ innoteſcet, de quo* §. 81. *videbimus: Sed de potentiâ,* An poſſit virtute DEi in multis ſtatui, poſito, etiamſi nul-

si nullum corpus de facto ita ubicetur. *Quid DEus possit absolutâ vi, quærimus, & concluditur, quid in corpore sit. Sic* aliud est, *quærere, an possit DEus plures mundos creare?* Aliud, *an de facto plures existant? Nec in concludendo unum cum altero confundendum.* V. t. 3. Dices: Inauditum hactenùs est, aliquid esse ubique, & non actu, aut quidquam cogi posse in unum locum, quod sit ubique. *R. At Nos* non de ubiquetate *quærimus, sed* multipræsentiâ, *quæ sunt diversissima. Quod ubiq; est, actu ubiq; est, non solâ potestate.* Sed nos creaturam nec actu ubique esse, nec per ullam potestatem ubiq; esse posse, confitemur. *Aliud est* Multipræsentia, *quam in corpore divinitùs possibilem putamus: Aliud* Omnipræsentia, *de quâ postea constituemus*, §. 76. *Aliud* Vbiquetas, *quam in totum in creaturâ negamus, quia ipsa infinitas, aut ei proximè nexa. Hæc* Tract. d. Ess. alic. s. 2. *confirmata sunt. Et* ulteriùs §. 77. 78. hujus Tractatus *patebunt*. Deinde etiam non dicimus, aliquid ubiq; esse potentiâ, non actu. *Quod enim ubiq; est, actu ubiq; est, non potentiâ. Sed aliquid creati in multis aut omnibus locis à DEo* sisti posse dicimus, etiamsi facto non sistatur. *Sisti posse omninò potentiam respicit, non factum præcisè requirit.* Diversa *n. hæc sunt*, t. 3.

50. 2. Nego sequelam majoris. Potest in multis locis creatura sisti, ut tamen non sit ubique. Multipræsens *creatum statui potest, &, ut* quidam *volunt, etiam omnipræsens.* Ubiquetas *solius Dei est proprietas, & creaturæ incommunicabilis.* s. 2. §. 38. d. Ess. alic. & §. 77. hujus Tractatus. 3. Limito Majorem. *Quod est totum in pluribus simùl sc.* per Naturam & essentiam sui, *ut non possit non ita esse, id demùm est ubiq; ac consequenter ipse DEus. Ita inter* Reformatos ipse Martinius in Theol. l. 2. p. 1436. Divina proprietas, ait, non est, esse posse præsentem, ubi velit: Sed præsentem esse ex perfectio-

 ne &

ne & immutabilitate Naturæ. *Et* ita demùm argumentati sunt Patres ad divinitatem Spiritus Sancti, *non quòd simpliciter sit in pluribus: sed quòd circumscriptam non habeat substantiam, quâ ratione Spirituales creaturæ, etsi loco non circumscribantur*, proprietate tamen substantiæ finiuntur, *i.e. finitam & terminatam habent essentiam.* Ita apertissimè procedit Didymus, *Cujus verba* §.46.ſ.4. d. Eſſ. Alic. *adduximus, quæ vide*, & de circumscriptione essentiæ, non loci, *eum loqui cognosce..* Jam ita argumentum Patrum pro DEitate Spiritus S. firmissimum est. Qui ita in pluribus simùl est, ut prorsùs non agnoscat circumscriptam finitudine aliquâ substantiam, eum & ubique, & Deum esse, prorsùs est necesse. *Infinitus enim est, & infinitum DEus est.* At hæc omnia nihil ad Corpus in aliquot locis *statutum. Quod* nec *per essentiam sui ita in pluribus est, sed supernaturalem vim & gratiam*: nec *necessariò ita est, ut non possit non ita esse, cum naturâ sui uno loco circumscribi postulet, sed perpeculiarem dispensationem*: nec incircumscriptam *habet substantiam, cùm terminis essentiæ naturam limitatam perpetuò retineat*: Nec non *naturali habitudine sui in unum locum cogi possit, & ex Naturâ sui velit, si supernaturalis vis & gratia aliter faciens tollatur. Quæ omnia adversa in Spiritus S. essentiâ deprehenduntur.*

51. Dices: Vacillat tamen argumentum Patrum, quod ab eo, quod in pluribus est, ducunt ad Deum ostendendum, si aliquod absolutâ vi in pluribus sisti potest, quod tamen non DEus statim sit. *At contra talem absolutæ potestatis* exceptionem & casum Nemo Patrum argumentum suum præmunijt. *E. nec talem casum per absolutam potestatem possibilem censuerunt.* R. 1. Patres non ex solo in pluribus esse *arguunt, sed & ex non circumscriptam* seu finitam habere substantiam. *Vide* Didymum *manifestissimè. Iam* hoc simùl sumptum immotè

motè *divinitatem arguit.* 2. Etiamsi ex eo solo arguerent, *intelligerent de eo, quod* propriâ vi, naturâ, *& essentiâ sui, adeòque* necessariò *totum in pluribus esset. Iam ex hoc DEum esse necessariò sequitur.* 3. Cum ex attributis *interdùm arguimus,* colligimus ex illis, quomodo usitato rerum cursu spectato se habent: misso, quod per casum & dispensationem prorsùs singularem extraordinariè illis infertur. *Et sic, quia usitato Naturæ cursu vix ulla res in pluribus simùl est, sed uno adæquato, quo terminatur:* Patres *inde aliam, quàm creatam in Spiritu Sancto adstruunt Naturam. Non tenemur in talibus argumentis* extraordinarios casus simùl aut includere, aut excipere. Sic ab æternitate ad divinitatem concludunt. P*osse tamen absolutæ* potestatis imperio Creatum quid ab æterno à DEo factum esse, Philosophi *non ignobiles statuunt, etsi alij dubitent.* V. §. 79. *Quid hoc ad ordinariam Naturam rerum, in quâ secùs esse, & principium durationis Vniversa habere agnoscimus? Sic concludere possem: Quod in loco est, DEus non est. Ignis in loco est. E. DEus non, ut* Persæ *delirabant. Posito, sine loco in vacuo vltra mundum corpus à DEo ubicari posse*, ratio de ordinariâ sublunarium Naturâ *procedit, non quid extraordinario & miraculoso casu, potestatis absolutæ imperium in re efficere possit.* 4. Patres non à solo esse in pluribus arguunt, *sed & ab esse ubiq; unde DEum Spiritum S. confirmant.* V. Basilium c. 22. d. Sp. S. *At nos negamus, ullam creaturam ubiq; esse.* V. §. 77.

52. 3. Quod est totum in pluribus simùl, actu est ubique. Nullum corpus actu est ubique, quia non infinitum. Ergò. R. Idem cum præcedente est. Negatur Major *ex ante dictis. Et* sub præcedente limitatione Major *intelligenda: Quidquid* per perfectionem & immutabilitatem naturæ suæ est totum in pluribus, *ut aliter esse nequeat, id demùm ubiq;. Sic nullum corpus vel in pluribus simùl, vel ubiq; est, aut esse potest.*

4. Nul

4. Nullum unum finitum poteſt eſſe in multis locis totum. Eſt enim locus finis ſubſtantiæ rei, & continet locatū. Quod autem continet, ita contentum intra ſe habet, ut nihil extrà relinquat. *At ſi unum corpus eſſet in horto, & ſimùl in cubiculo, neuter locus continebit, quia extra ſe relinquet.* Itaq; non erit locus, quod contradictorium. *Sed omne corpus eſt unum finitum. E. nullum in multis locis totum eſſe poteſt. R. Nullum unum finitum poteſt in diverſis locis totum eſſe ſcil* per circumſcriptionem, ut loco aliquo circumſcribatur, & circumſcriptum de facto maneat, & tamen ſimùl extrà ſit: *Sic enim locus finis & terminus rei eſt, totum continet, & nihil extra relinquit. At contradictorium eſt, totum circumſcribi & contineri loco, & ſimùl extra eſſe,* V. §. 45. 46. *Benè tamen* per ſimplicem ubicationem, *quâ tale corpus nec uno loco circumſcribatur, ſic enim non extra in alijs eſſe poſſet, nec multis, in quibus ponatur, circumſcribatur: Sed* ſimpliciter tantùm adeſſe ponatur citra actualem circumſcriptionem, *etſi non* citra circumſcriptivitatem & habitudinem naturalem ad circumſcribendum, quæ corpori omni eſſentialis & inſeparabilis eſt. *Ita Nos de corpore variè à Deo ubicato ſentimus, ut* c. l. *explicatum. Ita circumſcribi uno loco, & ſimùl extra illum eſſe, repugnantia dicunt: Non autem* adeſſe ſimpliciter hic, & ſimùl alibi *per ſupernaturalem poteſtatem poni.*

53. 5. Etiam ubicatione ſimplici nequit corpus in multis ubi poni; Tollitur enim unitas ejus, & finitas, & ſingularitas. Vnitas, nam unum eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quovis alio. *Sed corpus in multis ubicatum & diviſum à ſe eſt, quatenus enim in uno ubi, non in alio, & indiviſum ab alijs, quatenus multis locis proximum & conjunctum eſt, non eſt ab alijs diviſum.* Finitas, Corpus enim & eſſentia, & quantitate, & figurâ aliquâ terminatum eſt. *At quod in pluribus locis eſt, extra fines*

*fines suos extendi oportet, & finitatem figuræ & molis suæ amittit. Ita ipsa essentia corporis per multipræsentiam evertitur.* Singularitas, Quia corpus unum ad hic & nunc est determinatum. *Sed si in multis spatijs, non est præcisè hic, sed & alibi.* E. prorsùs non, *& nullâ ubicatione Corpus in pluribus locis esse potest.* R. 1. Nullum istorum per multipræsentiam in corpore tollitur. *Nam & anima rationalis est una, & finita,* & singularis, *Vt Petri, Pauli: non tamen his obstantibus in multis ubi tota simùl est, ut* l. 3. §. 12. de esse alicu. & hoc tractatu §. 34. *deductum.* Nec obstat, spiritum eam esse, *hic autem de corpore agi. Nam unitatem illam*, quæ indivisione hic intelligitur, & finitatem, quæ terminis essentiæ definitur, *& singularitatem, æquè habet spiritus, ac corpus.* Sive enim unitatem numeri & *Arithmeticam*, sive certitudinis *& distinctionis transcendentalis ac Metaphysicam intelligas, Vtraq;* æquè in spiritu est, ac corpore. *Si ergò in animâ illa non obstat: Cur in corpore præcisè multipræsentia obstare asseritur?* 2. Unum est, quod indivisum in se est, non respectu ad locum, sed ratione transcendentali certitudinis & determinationis in essendo. *Vnitas* hic est certitudo & determinatio essentiæ, *& dicitur transcendentalis, cui opponitur numeralis seu Arithmetica, judice Vestro* Alstedio p. 1. Metaph. c. 6. §. 3. *Vnitas hic est certitudo* & distinctio essendi, confusioni opposita, *non præcisè pluralitati aut indivisioni quantitativæ. Et oportet hoc loco,* ait Idem, intelligere indivisionem entitativam, quâ ens in suâ essentiâ non est vagum, incertum, confusum quid, sed distinctum, certum, constans: non quantitativam, quâ res Mathematicæ non possunt dividi, ut unitas & punctum. Sic & divisio alia est entitativa, *quâ res separatam & distinctam ab alijs naturam obtinet, quomodo DEus distinctus ab alijs est: alia* quantitativa, *quâ aliquid est divisibile in partes, ex quibus est, ut cum*

*Corpus dividitur in membra ſua, Similiter* Goriæus ex. Phil. 2. ſ. 4. Unitas comprehendit & negationem multitudinis, quæ eſt ſimplicitas, & diſtinctionem ab aliis. *Unum enim eſt, quod non eſt plura, non multa. Illud idem quoq; ſimplex eſt. Iam* quid hæc indiviſio rei aut diviſio, ad locum ejusvè rationem? *Manet corpus in diverſis ubi locatum* indiviſum in ſe, diviſum ab alio, h.e. certum, diſtinctum, ſeparatum à quovis alio ente, non vagum, non confuſum, non congeſtũ vel commiſtum cum alio, *nec tranſmutatum in aliud. Manet ſubſtantia corporea, materialis, quanta. Non fit ſpiritus, relatio, aut actio, aut aliud accidens. Non fit modus vel attributum aliquod, non Deus, non ens infinitum, & conſequenter.* Ita manet tranſcendentaliter unum, licet diſcretis temporibus reducatur, *ut in hac vitâ, & in reſurrectione poſt mortem. Iam quid hoc ad rationem eſſendi vel in uno loco, vel in pluribus?* Unitas dicit negationem multiplicitatis in eadem ratione, in quâ eſt una. *Sed Corpus ratione eſſentiæ & diſtinctionis eſſentialis dicitur unum*, non præcisè loci aut localis continentiæ, quòd uno tantùm loco concludatur. *Non ergò, ſi in pluribus locis collocetur, ſtatim negatio unitatis eſſentialis in eo infertur.* Non eſt diviſum & extra ſeipſum diviſione eſſentiali, *quaſi à naturâ ſuâ alienum eſſet, manet n. quod eſt & fuit:* Etſi diviſum quà præſentiam localem ſit, *ut quà in uno loco eſt, diſtet à ſe, ut eſt in alio, i. e.* præſentias à ſe diſtantes obtineat. Sic anima indiviſibilis in esſendo eſt. Sed ut eſt in pedibus & capite, à ſe diſtat quoad iſtas præſentias, h. e. præſentias à ſe diſtantes obtinet. *Ita ſi Deus caput & pedes viva in corpore ſervet, intermedio emortente, quòd ſanè eum poſſe certum eſt, anima omninò à ſeipſá ratione loci diſtabit, etſi in eſſentiâ indiviſibilis maneat.* Conf. §. 56. 64.

54. Hoc, inquies, tamen ſequitur, quòd unitas loci pendet ab unitate rei, tanquam neceſſarium conſequens. Erg

omn

omninò necesse est, unius rei unicum esse locum, eoque nullum unum posse simùl in multis locis esse. At, inquam ego, *multa hic confunduntur. Pendeat sanè unitas loci ab unitate rei: At non pendebit tanquam transcendentale quid, & inseparabile â re: Locus enim & actu locum occupare, non inter* transcendentalia, sed Physicalia sunt, tanquam Physicum & naturale quiddam consequens, rem in naturâ rerum & contiguitate cum aliis circumstantibus collocatam comitans, *At talia consequentia DEum separare, & præter Naturam rerum in Physicis dispensare posse, nemo Christianorum negare audebit, Et* Reformati *ipsi fatentur.* V. §. 30.69. *Poterit ergò & locum separare â corpore, & non obstante* unitate rei, quæ Metaphysica est, unitatem loci ambientis, quæ Physica, removere, *pluresq; locationes uni rei inferre, & sic eam in pluribus locis, diversis ubicationibus, absolutâ potestate simùl sistere.* Ad summum: Unitas rei Metaphysica plus quàm specie totâ & genere distat ab unitate loci Physicâ. Manente ergò illâ, hæc removeri & duplicari in Corpore poterit, si potestas divina extraordinariè in re procedere voluerit. *Manet res una, sed in essentiâ & certitudine ac distinctione transcendentali. Manet etiam unica numero & singularitate Logicâ, ac unitate Arithmeticâ. Multiplicantur in eâ divinitùs* plura ubi, ubicationes, loca, & adessentiæ ad diversa loca; Quæ sunt rei accidentia, transcendentalem ejus unitatem nec concernentia, nec labefactantia. *Et sic nec ex re unâ rem statim multiplicem facere poterunt, si multa in uno subjecto divinitùs concilientur.*

55. 3. Nec finitas rei tollitur Multipræsentiâ simplici. Finitum enim est, quidquid terminis essentiæ suæ limitatum est, ut essentiam non habeat infinitam & illimitabilem. *Iam aliquot locis sisti terminos essentiæ, quos res habet, non tollit,*

*sed illis manentibus* diversas saltem ubicationes ad loca aliquot rei infert. *Finitudo autem essentiæ, alius prorsùs est speciei â determinatione ad locum unum. Illa transcendentalis est, hæc Physica & Naturalis, & quæ de facto demùm in re sequitur, ubi contiguitati aliorum juncta, ut ex illis ambientem terminum nancisci poßit. Hic enim* verè locus demùm, Vt s. 4. eſſ. alic. t. 57. seq. *ostensum. Illa autem* essentialis rei Creatæ *simpliciter est, sive in contiguitate cum aliis sit posita, sive extra illam, sive in loco, sive extra illum statuatur.* Hæc accidentalis, *eoq; separabilis, ut & plures locationes simùl divinitus in finitâ re esse possint, manente finitate essentiali inseparabili.* Deinde Corpus & quantitate ac figurâ terminatum est. Sed hæc terminatio in quanto interna est, circumscriptio terminis suæ molis facta: Non externa, *quæ est cōmensuratio ad locum vel externū ambiens contiguum, quo circumscribatur. Quantum figurâ suâ terminatum est etiam in vacuo, ubi nullus locus.* Chaos *primi diei mole suâ & finibus certis terminabatur, non enim infinita moles erat. Sed circumscriptione loci non terminabatur, qui tùm nullus erat.* s. 4. d. E. A. t. 6. 7. *Potest ergò Corpus molis suæ terminos, i. e. figuram, retinere, ut tamen* loco circumscriptè *non terminetur. Hoc modo in pluribus locis*, sed præsentijs simplicibus, non circumscriptivis, *à DEo sisti poterit. Vt multis ubi simùl coëxistat, nullo tamen circumscribatur & concludatur, ut* §. 41. seq: *visum. Ita in loco* magis Metaphysico *futurum est*, quàm Physico, *qui terminus circumscribens*, Vt §. 3. 40. *dictum. Ita nec tale Corpus extra fines molis suæ extendi oportet, si diversis locis simùl ubicetur. Finitudo enim molis diversi est generis à circumscriptione loci, & Corpori semper inest; etiam cum nullo omninò loco circumscribitur: & in Corpore manet, retineturq;, etsi circumscriptio loci tollatur, & in multis ubi simùl ponatur, ut nullo de facto concludatur*

*cludatur, quod nos in Corpore in pluribus locis simùl statuto futurum affirmamus. Vt c. l. deductum.* Deinde *extensivè in pluribus locis esse, est modo cognito, Naturali, & usitato in illis esse. Nos autem Corpus à DEo in pluribus locis modo incognito ubicatum iri asserimus.* V. §. 97. *Non ergò extra molem suam extendi oportet.* Nec singularitas tollitur. *Manet n. ad unum spatium, & sic* ad hic determinatum ex Naturâ sui, etsi ad plura determinetur ex potestate summi agentis. *Sic* DEus *singularissimus, tamen in multis ubi simùl:* Anima Petri *singularis, etsi in multis spatijs in Corpore:* Christus *singulare suppositum, etsi in varijs ubi, etiam* Reformatis *concedentibus.* Singulare est, quicquid unius numero essentiæ est, non præcisè uni loco alligatum est. Conf. *t. 53.*

56. 6. Omne Corpus est alicubi circumscriptivè, & hic modus ubieratis ei est transcendentalis, essentialis, & consequenter inseparabilis, *At alicubi circumscriptivum* ad unum locum determinat Corpus, Vt ita sit in uno, ut non simùl non in uno, sed extra unum. *E. nullâ potestate plures loci simùl ei inferri possunt, aut trascendentalis ejus ratio, & consequenter essentia, evertitur. Transcendentalia enim sunt essentialia.* R. Omne Corpus est alicubi circumscriptivè, ut circumscribi possit per naturam sui loco aliquo, *non ut actu statim circumscribatur.* V. t. 6. 18. s. 4. d. ess. alic. Et hic modus habitudinis ad circumscribendum, est transcendentalis in corpore, & inseparabilis. *Nullum enim Corpus est, quod non Naturalem habitudinem ad circumscriptionem loci retineat, quà eo per Naturam sui circumscribi possit, & si cætera paria sint, postulet.* Hic modus etiam in Corpore in multis locis statuto *retinetur, semper enim per Naturam sui uno ubi circumscribi aptum est & postulat, etiamsi de facto in multis sine actuali circumscriptione in*

*uno à DEO locetur.* Eſt in loco uno, ſi ordinem Naturæ ſpectes. Eſt in locis, ſi potentiam ejus, qui Naturam creavit, *& ſupra eam operatur cùm placuerit. Hic totam rem ponit in uno loco, ut ſimùl eadem ſit in alio. Sic nec modus ejus tranſcendentalis tollitur, nec eſſentia evertitur.* Conf. t. 22. *Vbi de ſimili actum eſt.*

7. Nullum diſcretum à ſe & loco ſeparatum, manet unum. Corpus in aliquot locis poſitum erit diſcretum à ſe, eſt enim diſtractum & ad hoc ubi, & ad illud, & ad iſtud, & loco ſeparatum. *Nam quà eſt in uno loco, non eſt in altero. E. non manet unum.* ℞. Nego Minorem, *quòd diſcretum à ſe futurum ſit. Manet enim unum, non fit diſcretum. i. e. multum.* V. t. 53. Aliud eſt, loco ſeparatum eſſe, aliud diſcretum in ſe eſſe. Loco ſeparatum eſſe, *h. e. in locis ſeparatis adeſſe, non ſtatim diſcretionem rei in ſe ponit. Sic temporis diſcretio & multitudo non ſtatim multiplicationem ipſius rei facit. Vnum Corpus eſt noſtrum cum eo, quod poſt Subſtantialem ſui corruptionem reſurget; tamen ſub diverſis temporum differentijs,* V. §. 18. *Sic unum Corpus variis locis poſitum eſt, etſi locorum varietates admittat. Non intimior Corporis affectio eſt locus, quàm tempus: Vt hujus diſcretio nullam Corpori diſcretionem inferat; illius inferre cogatur. Sic & diſtractum tale Corpus erit, non in ſe, eſſentiâ, aut quantitate ſuâ, quæ ſemper continua & indiſtracta manebit: ſed* in præſentiâ ad diverſa ubi, *in quibus erit. Præſentia illa ad varia loca erit diſtracta, quæ eſt accidens in Corpore, ubicatio aliqua: Corpus ipſum in ſe indiſtractum manebit.* Conf. §. 53. 64. Deinde in loco ſeparatum eſſe, ambiguè dicitur. Vel notat modum ſeparatum ipſius corporis, ut Corpus ipſum ſeparatum in ſe in diverſis locis ſit: *Sic negamus, Corpus aliquod ſeparatum eſſe. Manet enim unum & continuum, non diſtrahitur aut diſparatur à ſeſe, vel in multa Corpora, vel in multas partes unius Corporis,*

*quomodo*

quomodo partes ejus in diversis locis essent: Hic autem Corpus unum totumq; manens, in diversis spatiis ubicari dicitur: Vel modum loci separati, ut in locis separatis Corpus simul existat: Sic concedimus loco separatum esse, i. e. in locis separatis esse: Sed illa ad locum separatio Corporis distractionem non infert, velut nec in diversis temporibus existentia varium ipsum Corpus efficit, aut loci unitas unitatem Corporis facit, quæ alius longè generis ab hac est. V. §. 53. 54.

57. 8 Si corpus unum in pluribus locis, aut occupativè, aut definitivè, aut repletivè, in illis erit. Tot enim sunt modi essendi alicubi. At nullo modo. Non occupativè, qui corpori aliàs proprius. Nam quod ita adest, etiam definitivè. At quod sic, ita est alicubi, ut nequeat extrà alibi esse. Non definitivè, quia hoc spirituum est proprium. Non repletivè, quia hoc solius DEi est. E. planè nequit in pluribus locis esse. R. 1. Major insufficienter enumerat. Addi potest, aut modo aliquo supernaturali & incognito, nec per naturam corpori competente, nec naturali vi in illo inducendo. Sic alicubitas humanitatis Christi in Personâ filii DEI, nec est occupativa, nec definitiva, nec repletiva: sed singularis, extraordinaria, & supernaturalis, sequens subsistendi rationem, quæ personalis. Talis & ubietas ejus, quæ πρώτως subsistentium est. V. §. 85. Occupativè & definitivè alicubi esse, sunt modi naturales alicubitatis Corporum & spirituum, & naturaliter illis debiti, & naturâ in illis cogniti. Sic repletivè alicubi esse, est modus alicubi essendi, qui per naturam DEo competit. In nostro autem casu præter naturam sui, supernaturali modo & incognito, Corpus variè ubicari assumitur. V. t. 41. Hic naturales adessendi modi non præcisè assignandi. Sic Corpus Christi in Eucharistiâ, nec occupativè, nec definitivè, sed mysticè & Sacramentaliter est, ut s. 3. §. 28. d. E. A. dictum.

*dictum.* Si in Resurrectionis mysterio *modos reproductionis naturales & naturaliter cognitos urgere vellem, & quia nullus ad resurrectionem quadraret, in totum eam DEi potestati subjacere negarem, non admitteretur talis processus* à Reformatis, *& modo incognito, supernaturali potentiâ eam fieri, reponeretur.* Conf. t. 17. Simile *in hoc casu Multipræsentiæ habendum, quam insigni miraculo fieri* §. 41. *dictum. Hic* modi extraordinarij *assignandi, non, qui naturaliter rebus competant.*

58. 2. Occupativè alic. esse, vel *dicit occupare locum per naturam posse, ita corpus semper alicubi occupativè per naturam sui est, ut circumscribi loco possit, illudq; postulet:* vel occupare facto, & actu *circumscribi alio, sic non semper occupativè alicubi est.* V. §. 6. 7. s. 4. d. E. A. Priore modo *etiam variè locatum corpus occupativè alicubi est, non posteriore.* V. §. 18. 6. c. l. *Semper corpus occupativè alicubi est, etsi de facto non circumscribatur.* Et modi hi alicubitatis habitudinem naturalem in re ad occupandum aut definiendum locum dicunt, *sicq; semper subjectis suis conveniunt, etsi de facto præter naturam interdùm secùs in illis esse queat.* 3. Quod definitivè alicubi, ita est, *ut extrà non sit,* scil. per sui naturam, *ut naturaliter in pluribus ubi totalibus simùl esse non possit. Sic enim unum ubi postulat, & hoc naturalis ubietas definitiva requirit in spiritu, ut* s. 3. §. 9. d. Ess. alic. *visum. Quid tamen* supernaturalis potestas hic possit, hinc præscribi non potest. *Et manebit angelus definitivè alicubi per sui naturam, ut tamen in multis ubi statuatur per supernaturalem gratiam.* V. c. l. *Non contradicunt, Naturâ suâ in ubi quodam definito adesse postulare: &* actu *non in uno ubi, sed pluribus statui, virtute principij supernaturalis.* De circumscriptione actuali diversa est ratio. *Hæc corpus alicubi ponit,* ut concludatur & terminetur illo, & sic extrà esse nullâ potestate admittit.